

viam ut guerra non fieret inter vos et ipsos Januenses. — Scimus etiam quod ipsi Januenses vendiderunt equos suos et vendunt, per que comprehendere possumus quod ipsi parant se ad recessum. Et sicut pluries scripsimus, iterum repplicamus quod et ipsi ambaxatores et omni alii Januenses qui sunt Avinioni utuntur malis sermonibus et habent contra vos pessimam voluntatem. Habemus quidem per relationem cuiusdam fidedigne persone quod ipsi talibus sermonibus utuntur in Janua, videlicet: Si Veneti volent intrare mare maius possumus duas galeas armare in Caffa, quinque in Peira et duas in Chio.

In Janua vero octo vel decem armabimus ad mercatum, et probabimus posse capere suas galeas de mercato et, captis galeis, naves etiam capiemus et eis captis faciemus viam de Suria, redeuntes quidem domum, de denariis et bonis eorum faciemus guerram cum eis. Habemus etiam satis clare quod ipsi Januenses habuerunt copiam appositionum nostrarum et ea transcribi fecerunt..... et gravantur multum de hiis que in certis punctis sunt dicta..... per nos. Et per ea que sentire possumus credimus quod ipsi redibunt vacui et non optinebunt aliquid de sua intencione..... Unionis sic processerunt hucusque quo modo(?) sicut in precedentibus litteris meis scriptum est Vestro Dominio. — Ambaxatores regis Zipri, ambaxatores Hospitalis et nos multum instetimus Domino Pape et III cardinalibus auditoribus nostris et aliis etiam cardinalibus quod Ecclesia summeret custodia Smirnarum in se, et committeret illam legato suo, et dicebamus omnes concordēs quod de earum custodia non poteramus nos intromitte ullo modo. Intencio autem Domini Pape et eorum cardinalium ad hoc videtur esse firmata quod sicut IIII m. partes acquisiverunt locum Smirnarum sic ille eedem IIII m. partes sive ad mantenendum et custodiendum castrum et locum Smirnarum; petiit quidem Dominus Papa quantum pro anno presens erat necessarium de pecunia pro custodia Smirnarum et aliis expensis necessariis; nos vero respondimus quod pro custodiendo Smirnas pro anno presenti erant necessarij XII m. floreni, et adhuc alij XII m. pro anno presens pro armando ligna parva et alias expensas necessarias faciendo, et dicebamus quod pro annis futuris erat necesse quod Ecclesia daret decimas Cipri et Romanie. — Insuper petebamus decimas suppositas Patriarcatu Aquilegiensi et Patriarcatu Gradensi. — Ad hec autem talis est intencio Domini Pape. Quia quantum pro anno presenti vult tribuere pro quarta parte que tangit Ecclesiam de XXIII m. florenis et pro annis futuris dare decimas Cipri et Romanie. Set non videtur dispositus dare decimas Aquilegie et Gradi sicut dixit nobis dominus Hostiensis. Et vult dare largo modo indulgencias et alia necessaria circa hec sicut in nostris provisionibus con-